Badische Landesbibliothek Karlsruhe

Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe

Reden und Arbeiten der Societas Latina - Cod. Karlsruhe 3420, 1-4

Orationes in Marchio-Badensis Societate Latina ab ordinariis h. soc. solidalibus habitare - Cod. Karlsruhe 3420,2

Hebel, Johann Peter

[Karlsruhe], 1772-1776

[Posselt, Ernst Ludwig]: Praesentis aevi felicitatem in Oratione depinxit, 6 Feb 1779

urn:nbn:de:bsz:31-99834

Visual Library

Praesentis aevi felicitatem
in Oratione
depinxit
Ernestus Ludovicus Posseltius,
Iurium Cultor.
Die VI Februar. 1779.

16 Jan. — [illegible]

[illegible] 1) [illegible]
2) [illegible]
[illegible]
[illegible]: 1) [illegible]
2) [illegible]
ad 1). [illegible] Philosophie, [illegible]
[illegible]
[illegible] — odium [illegible] —
bella privata — [illegible]

ad 2) I [illegible] Philosophie.
[illegible] ([illegible] Philosophie [illegible].)
II d. Theologie, [illegible]
([illegible])

517.

III Jocus / Jurisprudenz

IV Schöne Litteratur

Klopstock, ebenbürtig / Römern u. Griechen

Wieland, iocosa musa,

Stollberg, glücklicher Uebersetzer Homers, (Lob Homers)

Innumeros esse

Exordium.

Director maxime Spectabilis;
Sodales Condecoratissimi!

ac ultra conceptum varios, quibus huma-
na mens agitatur in iisque fluctuat, erro-
res, quorum non modo in animos densis ignoran-
tiae nebulis suffusos, sed in erectioris quo-
que ingenii altiorisque spiritus viros incredi-
bilis quaedam conspicitur vis, neminem in-
dubium esse puto vocaturum, qui, quam angu-
stis limitibus ratio nostra circumscripta
sit, quantisque - uti mortalia cuncta - laboret
defectibus reputaverit. In hac autem tanta tamque
infinita earum opinionum quas non adhibito exac-
tiori quodam judicio perperam in animum inducimus
copia et segete, haud ullam facile magis vulga-
tam animisque firmius inhaerentem reperias ea
qua pars mortalium multo maxima illud, cujus
se civem esse voluit rerum natura, saeculum qui-
buscunque reliquis pejus exstare ac vitiosius qui-
ritatur, integri nihil et ampli et excelsi superesse
luget, atque suam calumniando aetatem et quibus-

cunque probris in eam invehendo, sola patrum
tempora invidendis laudibus celebrat, tanquam ama-
bilem ac venustam eorundem vellibet imaginem ut
in auream te primi orbis aevum reduci credas. At
quid omnino ineptius potest cogitari, quid magis
ingratum stolido isto plerorumque more? Ecquid
enim juvat splendidissimis efferre elogiis quae
licet optima fuerint praestantissimaque, ta-
men exstincta pridem sunt, nullisque revocari pos-
sunt doloribus atque lamentis? Ecquid magis
amplitudini naturae majestatique parentis ejus-
dem adversum fingi potest, quam naturam
pulcherrimum summi Numinis opus, las-
sam velut et effoetam matrem nihil ultra
laudabile gignere valere? Et si qua veri-
tate niterentur neque suo prorsus destitutae
essent fundamento querelae illae, quidni satius
existumandum atque salubrius obviam ire
malo, cunctis illud viribus evellere, nihilque
aliud agere, nisi ut sudore nostro nostrisque
laboribus in pristinum eundemque meliorem
res humanae reducantur statum? Verum
quotusquisque eorum qui futilissimas nunc
et indignissimas contra aetatem nostram
eructant sententias, dirisque illam omnibus
devovent, si historiae opera, quotquot praeter-
lapsa sunt saecula, quasi ob oculos sibi

sistat eoque curatius contemplatur, intelligatque quanta olim atrocitate gesta sint bella, quanta barbarie cuncta et superstitione fuerint referta, quam immensus eorum numerus, quorum omnis vita nihil fere aliud dici poterat nisi continua benefactorum series et haud interruptum scientiarum sacrarum penitius inspiciendi studium, eam unice ob causam, quod de rebus ultra vim humani judicii positis secus sentiebant – feralibus ignibus impositus morte exspiraverit acerbissima; quotus quisque eorum, qui talia edocti sunt, non extremae semetipse ingratitudinis reum adjudicaret prolapsusque in terram summo rerum arbitro ardentissimas intimoque pectore surgentes persolveret gratias, quod eo ipsum saeculo nasci jusserit, cui caelestis illa rationis assiduo ac felicissimo studio cultae fax clarissima luce fulget, cui insignis ingeniorum eminentium usque satus esse videtur flos atque proventus, in quod denique ea omnia conjectae, quae si una aetate qualibet invenias, aureae titulo, et quoad mortalitatis conditio patitur, beatae illam insignias necesse est.

Thema.

Hac ego ratione adductus <u>Praesentis aevi felicitatem</u>, vobis, Auditores Spectatissimi! depingere institui. Ita vero in hujus argumenti tractatione versabor ut squalidam <u>primo</u> et flebilem priorum temporum exhibeam imaginem, <u>deinde</u> quid nostra aetas profecerit quantaque sint illius decora suis exprimam coloribus.

Quare ut in hac celebritate conventus splendidissimi, de re exactiori cognitione dignissima exposituro mihi auribus animisque favere velitis etiam atque etiam rogo.

Pars prima.

Cujusmodi fuerit superiorum temporum ratio, quam misera eorundem ac dilacerata facies, quot maculis adspersa, quot foetoribus contaminata; vobis paene exprimi nequit. Ratio — qua non majus potuerat humano generi, neque divinius a summo Numine munus dari — neglecta, oppressa, suffocata; altis cuncta inscitiae ac barbariei tenebris involuta; nullibi caelestis Philosophiae fax salutifera luce fla-

gebat, verum ei locum eandem stolida successerat credulitas et anilis superstitio. Omnis, quantulacunque tum erat, eruditio in cellis monasteriorum abdita delitescebat; quoniam sacrificuli; illud hominum genus, quo non perniciosius quicquam viderunt Musae mansuetiores, incredibili diligentia praecavebant, ne quis alius dissiparet caliginem, disjiceretque nebulas, quibus cuncta circumfusa et plebem ab iis, quibus misere constricta tenebatur, errorum vinculis liberaret, quamque foede ipsi illusum fuerit, planum faceret. Qui poterat inde aliter fieri, quam ut praeclarissima ingenia, quae ad splendorem saeculi sui atque solertiam provehendam velut nata videbantur, ab omni plane altiori meditatione deterrerentur, quoniam videlicet cogitare nullo pac-

-to poterat, ne quidquid recens inventum
ederent, idem a monachorum ratione
alienissimum foret. Si quod autem adeo
promptum exstabat et magnitudinis
suae conscientia erectum ingenium, ut par-
vi faceret mala circumstantia, contem-
neret pericula neque reformidaret, quae
imminebant, supplicia, dum modo rela-
xarentur humanae scientiae adeoque etiam
felicitatis circuli; crudelissimam hoc
experiebatur terribilis illius monstri vim
quod sub titulo inquisitionis longe olim
lateque imperitabat, ferroque ac flammis
armatum bacchabatur, humanoque deo
sanguine litabat. Horror profecto
animum subit quoties mecum considero,
quot viri – quarum memoriae consecrandae
profana illa Graecia templa sacra esse
jussisset, quibus Roma, illud clarissimorum

Ingeniorum domicilium, statuas erexisset mira pulchritudine exsurgentes, quos nostra quoque suspicerit aetas et qui ab infelici illa et barbara aetate ob fervidum suum et aestuantem conatum pellendi tenebras, e coelo devocandi mansuetiora studia, humanitatisque jus et rationis sacra restituendi tanquam tutelares coli debuerant genii – eundem vitae habuerint exitum qui latrones et parricidas et scelestissimos quosque manere solet. Indignissime prope hac ratione exstinctus foret ille sanioris Astronomiae pater Instauratorque Galilaeus, ni patrocinio incomparabilis ejus Cosmi Mediceensis ex ipsis supplicii atrocissimi ereptus fuisset faucibus. Tum enim temporis, in tanto rationis despitu atque odio, prorsus non exstare in

rerum natura cernebantur, quorum nul
la in Aristotelis voluminibus fiebat
mentio. Is enim Philosophorum, quos
antiquior aetas tulit, longe princeps,
sed qui tamen, quoniam non cadunt in hominem
omnia, quaedam vel prorsus ignorabat
vel perperam tradebat, oraculum existi
mabatur falli omnino nescium, et in quo
scientiarum omnium contineretur inte
gritas. Hic quia in sole maculas con
spici non docebat, quippe quae suis tem
poribus nondum detectae erant, sacri
lega habebatur sententia imaginem
solis, inter quam et castum illud
sanctumque Mariae corpus com
paratio institui solebat, veluti
maculis esse contaminatam. Sed

finem imponam huic descripti-
oni neque referam quanto metu sub
adspectum cometae alicujus deficientisve
trepidatum sit lunae; omittam innume-
res, quibus nescio quis Daemon in
hoc natus ut vexet humanum genus
et torqueat et mille modis excru-
ciet, immiscebatur fabulas; taceam
de isto bellorum privatorum furo-
re, quo misere distracta erat atque dila-
cerata patria nostra; Nihil tandem
de suavissimis iisque purissimis volup-
tatibus dicam, quibus infelix illa
aetas Poëseos et Musicae et nobilissi-
mi scrutandi naturam studii ex-
pers caruit. Longius enim atque forsan

delectat, in depingenda pristinorum temporum barbarie atque immanitate ingratam consumpsi operam.

Pars IIda.

Superioris igitur aetatis, tanquam informis alicujus et horridae solitudinis egressi terminis, Auditores Honoratissimi! in amoenissimâ nostri saeculi rura transeamus, pulcherrimoque spectaculo animum et oculos pascamus. Tantum enim abest, ut suffocatam hic reperiamus rationem ut potius intelligamus quo diutius oppressa variis illa artibus latuit, eo laetius deinde eandem enitescere. Adest tandem beatum illud tempus, quo — quam felici connubio stabili-

dicendique libertas cum veritatis studio conjungi queat, perspicitur. Non privatae professionis instar librarum secreta sub sancti silentii sacramento traduntur, sed omnibus liberaliter aequalique cedunt jure. Quicquid unquam in religionis cogitatum est detrectationem, ingenue promi licet, ut sive extirpari possint, qui adhuc supersunt errores, seu veritas contra calumniantium ingenia fictasque omnium insidias se ipsa defendat.

Jam vero Philosophia, vitae illa dux, ut egregie Tullius inquit, virtutis indagatrix, expultrix scelerum, qua non prius quidquam consequendae felici-

felicitati potest cogitari neque ad-
commodatius, quantis decoribus
aucta! quam mirum in modum e
subtilitatis umbratilis siccitate am-
plissimo reddita atque laetissimo cam-
po! ut quae prius foeda erat
et deformis anus, illam mihi nunc
augusta et humana majori specie
intueri videar, splendido Gratiarum
dulciumque Ludi puellarum comitatu
ornatam, tantasque spirantem Veneres
ut, qui non victum se ad illam trahi
sentiat, omni eum pulcritudinis
gustu carere necesse sit. Satis hoc
superque in genere Philosophiorum

proventus dedit, quos quae Sapientiae praeest Dea, in splendorem aetatis nostrae nasci voluit. Ecquis enim Mendelsohnios ignoraret, Bonnetios, Basedovios, Kaestneros, Sulzeros, Kantios, atque illum etiam quem mors praematura et luctuosissima haud ita pridem exstinxit, Lambertum, qui iis ornamentis quae Musae praebent ac ista elegantia, quam easdem suis alumnis tradunt, severitatem et subtilitatem Philosophiae incredibili gratia et amoenitate exhilaraverant, adeo ut, quicquid attingerent, rosa fieri videretur. Quid? quod Theologia novam induit faciem, eamque multo amabiliorem?

Quum antea mortales proposito aeternorum suppliciorum metu servili et indigno timore a perniciosis actionibus deterrerentur, nostro tempore qui Christi doctrinam profitentur, toti in eo sunt ut quam infinitus omnemque modum excedens Summi Numinis in humanum genus esset amor, persuadeant speciosa oratione auditoribus suis et egregia in lucem collocent. Non statim exsecrationibus cumulatur qui secus sentit atque Lutherus. Fortissimum quidam pectus objecerunt invidiae, quae subeunda ipsis erat, quum herculeo labore sexcentas resecarent fabulas, quibus homo omnium malorum sistebatur domicilium in quo hoc procreatus exhibebatur ut ima ejus viscera

haud interemorituris aliquando dilacera-
rentur furiis. Jurisprudentiae insigne
accessisse decus, nemo paullo aequior harum
rerum aestimator inficias ibit. Non
litteralis legum inhaeretur, sed vis ac pote-
stas altiori indagine elicitur. Dirus ille
et barbarus quaestionis mos, quo utrum
aliquid potuerit pestilentius reperiri atque
immanius vehementer dubito, prorsus e rebus
humanis sublatus. Non ea sanciuntur prae-
cepta, quae explere idem esset ac hominem
non esse neque ullus fere conspicitur le-
gumlator, qui non idem Philosophicis
sit instructus doctrinis. Quo tan-
dem sermone in depingendis, quae meri-
to adornamenta sua referunt patriae

Camoenae, poëtarum ingeniis utar? Quomodo Klopstockium efferam, cujus divino carmini non memini Latium vetus neque felicem Graeciam quidquam praestantius habere? Qua ratione Wielandtium depraedicem, cujus jocosa Musa honori est Germaniae atque decori? Qua Stollbergiae comitem definiam nota, qui sublimi cum ante illum ex ipsa rerum natura exquisitissimarum imaginum copiam petentem, poëtarum omnium principem Homerum, mira felicitate teutonica lingua expressit? Sed dies profecto me deficeret, si omnes,

quorum laudes ne eloquentissimus quidem consequitur, viros recensere in animum inducerem. Quocirca pedem hic figo, satis multa me protulisse putans, ex quibus quanta sit praesentis aevi felicitas, constare possit.

BADISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Baden-Württemberg

535,